Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1843
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

si id turpe iudicet vel dubitet an turpe sit / In huiusmodi ca-
su aliud Diogeni babilonio videri solet magno et gra-
vi stoico Aliud antipatro discipulo eius homini acutissimo /
Antipatro omnia patefacienda ut ne quid omnino quod venditor
norit emptor ignoret / Diogeni venditorem quatenus iure
civili constitutum sit dicere oportere vicia cetera sine insi-
diis agere et quoniam vendat velle quam optime vendere Ad-
vexi exposui vendo meum non pluris quam ceteri fortasse etiam
minoris cum maior est copia cui sit iniuria / Exoritur
antipatri racio ex altera parte Quod agis tute cum ho-
minibus consulere debeas et servire humane societati eaque le-
ge natus sis et ea habeas principia nature quibus parere
et que sequi debeas ut tua utilitas communis utilitas sit vicis-
simque et communis tua utilitas sit celabis homines / Quid hiis sit
commoditatis et copie / Respondebit diogenes fortasse sic /
Aliud est celare aliud tacere Neque ego te nunc celo si tibi
non dico que natura deorum sit quis sit finis bonorum que
tibi plus prodessent cognita quam tritici et utilitas / Sed non
quidquid audire tibi utile est id michi dicere necesse est /
Siquidem meministi esse inter homines natura coniunctam
societatem memini inquiet ille Sed num ista societas ta-
lis est ut nichil suum cuiusque sit / Quod si ita est ne ven-
dendum quicquam est sed donandum / Vides in hac tota dis-
ceptatione non illud dici quamvis hoc turpe sit tamen quoniam ex-
pedit faciam / sed etiam ita expedire ut turpe non sit / ex
altera autem parte ea re quia turpe sit non esse faciendum /
Vendat edes vir bonus propter aliqua vicia que ipse norit /
ceteris ignoretur pestilentes sint et habeantur salubres
ignorentur in omnibus cubiculis apparere serpentes male